

chae (*Gen. c. 41*), ut triticum huic mortali mundo pernecessarium in futurum sterilitatis septennium conservandum curaret, Pharaon in tantam dignitatem evehit, ut supra omnes eum constituerit, eique suum annulum, stolam byssinam, et torquem aureum dederit, atque super currum suum ascendere fecerit, clamante praecone, ut omnes coram eo genuflecterent, et praepositum esse scirent universae terrae Aegypti; nec quicquam absque Ioseph imperio fieri voluerit, eumque lingua Aegyptiaca, Salvatorem mundi appellavit; quanto quaeso magis Virgini Deiparae debitorem universus orbis se fateri tenebitur, quae panem vitae, qui de coelo descendit, quae a morte aeterna liberatur: *Qui manducal hunc panem, vivet in aeternum* (Ioann. c. 6), non in solum septennium, sed in omnem aetatem, nec uni tantum Aegyptio, sed nationibus omnibus in Ecclesia perpetuo permansurum: *Ece ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi*, ex purissimo suo sanguine concepit, et lacte postea nutriti, ut merito Deus eam de mundo optime meritam in tantam sublimarum dignitatem, ut uni Deo sit secunda, dominique mundi, et dispensatricem divinarum gratiarum eam constituerit. Quare b. Laurentius Iustinianus (*ser. de Nativ. b. Virg.*), agens de sanctissimo Christi corpore, quod in Eucharistiae sacramento nobis proponitur: *Hoc, inquit, manna, quod in utero beatae Mariae repositum, ubique expositum, atque appositum, gratiam contemplant, quae tale exceptit munus, taleque genuit prolem, quae te corporis sui manna refecerit, inebriaret cruore, passione redimeret, morte sacaret; hucusque b. Laurentius Iustinianus.*

Ad extremum beatae Virginis venter, non solum fuit cibarius huius coelestis panis, quod fideles vescimur, sed et vehiculum, ut loquitur divus Gregorius Nicomediensis (*orat. de obl. Virg.*), quo nobis illum asportavit: facta quidem quasi navis institoris, de longe portans panem suum; sed nobilitati alio vehiculo, quam sit navis, comparavit illam Salomon Cantico (*cap. 3*), vocans eam ferculum regium: *Ferculum fecit sibi de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum: quem locum de b. Virgine apte intelligi, testatur Andreas Cretensis (or. 2. de dorm. Virg.), sanctus Antoninus (4. part. tit. 15. cap. 44. §. 7), Honorius (in sigill.), et Gulielmus (in cap. 3. Cant.): et merito quidem Deipara Virgo huic Salomonis ferculo comparatur, quam verus Salomon Christus, sapientia Patris, et pax nostra fecit sibi, hoc est in proprium usum construxit, ut in eius corde spiritualiter, corporaliter autem in eius utero atque alnis dignissimum gestaretur. Ligna vero Libani, ex quibus ferculum illud constabat, erant, ex Glossa interlineari, fortis, celsa, speciosa, odorifera, impatibilia, atque candida; et his quidem lignis singulares heroeicae, atque eximiae Deiparae Virginis virtutes, quarum aliquas in c. 21) attingemus, quibus eius spiritualis structura constabat, significatur. Beatam enim Virginis virtutes erant ad omnem hostium impetum sustinendum, et reprimendum fortes: proceritate sua coelo proximae spi-*

rituali pulchritudine decorae, ad sui dilectionem, vel ipsum Deum, qui concepit speciem eius, suaviter allicientes, boni exempli odore fragrantales, contra omnem sanien, atque pudredinem divinitus ita munitae, ut essent protus inaccessibiles. Denique puritate sua, atque candore omnibus conspicuae, et illustres.

Columnae autem argenteae, quibus ferculum innitebatur, merito septem illae credendae sunt, quas divina Sapientia excidit, cum domum sibi aedificavit (*Prov. 9*), quae septem dona Spiritus sancti instar argenti nitidissima clare adumbrant, quibus ab Spiritu sancto movemur ad opera virtutis promptius excedenda, ut docet divus Thomas (*lib. 2. qu. 68. art. 1*). Huius ferculi reclinatorium fuit aureum; scilicet Deiparae uterus, qui regio decore, plusquam auro fulgebat, in quo per novem menses Christus Iesus est reclinatus: fuit etiam ascensus eius purpureus, quoniam ad altissimam in coelis sedem ascendit non absque laboribus, et pressuris: nam praeterquam quod iuxta d. Simeonis vaticinium acerbi doloris gladius, ob filii sui mortem, animam eius transverberavit; certe d. Bonavent. (*in medit. vitae Chris. cap. 3*), ex quadam revelatione refert, nullam gratiam, donum, vel virtutem b. Virgine obtinuisse absque magno labore, afflictione, et lacrymis, excepta gratia, qua primum in utero matris Annae fuit sanctificata.

Denique ascensus purpureus indicat regiam b. Mariae dignitatem, cuius insigne est purpura; quod, aulem subdit, *media charitate constravit, propter filias Hierusalem*, affectum charitatis, et misericordiae, quod coelestem hunc panem utero suo nobis de coelo delatit, et in quotidianum cibum praebet, aperte significat. Ut dicit b. Bernardus (*serm. 1. de assumpt.*) dixit: *Nemo dubitare potest omnino in affectum charitatis transisse beatae Mariae viscera, in quibus ipsa quae ex Deo est charitas, novem mensibus corporaliter requievit; praecipua tamen erga filias Hierusalem, eos nimirum, qui ad coelestem Hierusalem affectu, et desiderio aspirant: hi enim optiores sunt ad manducandum Eucharistiam, panem, cuius proprius effectus est, in vitae aeternae immortalitatem vescentes illos servare.*

Quod si quispiam hae interpretationi obicit, Salomonem in praedicto loco Cantico non dicere, ferculo illo portari nobis panem, sed gestari regem potius, id eandem interpretationem astruit, cum revera ipse rex Christus sit ipse panis, ipso dicente: *Ego sum panis vitae, qui de coelo descendi*. Unde et Ecclesia in invitationalio officii corporis Christi exorditur in haec verba: *Christum regem adoremus dominantem gentibus, qui se manducantibus dat spiritus pinguedinem*. Ecce rex ipse pinguis est cibus, ac coelestis panis ad reficiendas animas: quod sane, ut id obiter dicam, ardentem Iesu Christi erga nos charitatem aptissime monstrat. Unde non infamiae notae Doctores per charitatem in eo loco, ipsum regem Salomonem in media ferculi parte residentem, accipiendum putant, qui figurate, et amatorio more appellatur charitas propter eam, quam filius Hierusalem se illis communicando

exhibet: faveatque huic intelligentiae, quod alia versio habet, et medium tenet ipse accensus, quod vero addatur, *propter filias Hierusalem*, manifeste ostendit, voluisse portari in sacro virgineo utero ferculo ad conciliandum sibi amorem fidelium, coelestis sui corporis panem illis providurum; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XI.

Virgo Deipara a utero suo Dei Filium gestans arcae foederis, seu testimonii, ex antiquorum Patrum doctrina apposite satis comparatur, in qua similitudine varia b. Virginis encomia delitescunt, etc.

Universi Ecclesiae Patres beatam Virginem arcae nomenclatura frequenter exornant: nam, ut omittam divum Epiphanium (*serm. de Deip.*), Andream Cretensem, Gregorium Nicomediensem (*orat. de obl. Deip.*), Hedeiphosum (*serm. de assumpt.*), d. Bern. (*serm. de b. Virg. tom. 2*), Anton. (*4. part. tit. 15. cap. 2*), d. Bernardinum Senensem (*tom. 3. serm. 11. art. 1. cap. 3*), qui omnes, quandoque arcam legalem, quandoque arcam animatam, in cuius utero mater sanctificationis b. Virgine vocitant; apud d. Ioannem Chrys. (*in Liturgy*) haec lego: *Omnium Deus incarnatur in te, sacrosancta arca, ut dicitur iustus David: alludit sine dubio ad verba illa regii Vatis (Ps. 131): Surge Domine in requiem tuam, tu, et arca sanctificationis tuae*: apud d. Laurentium Iustinianum (*serm. de nativ. beat. Virg.*) haec etiam reperio: *An non Maria testamenti arca verissima divinis manibus fabricata, auro vestita mundissimo, virtutum gemmis ornata, atque impatibilibus lignis spiritualiter facta testamenti arca, tabulas, frontentem virgam, et suavissimum in se manna continuit? Accedit Esychius presbyter Hierosolymitanus (hom. 2. de Deip.), ubi loquens cum Christo, ait: Si tu es gemma, et illa est arca: immo Billius eruditus, divus Ioann. Damascen. (*sch. orat. 1. de nativ.*) affirmat, in veteri lege ea praecipue ratione arcam foederis in magno honore habitam, quod Virginis sanctissimae Messiae Matris figuram ac tyrum gereret. Quam autem adamussum vetus illa arca beatam Virginem adumbraverit, ex his, quae de illa sacra commemorant eloquia, praesertim (*Exodi 25*), nervose, ni fallor, comprobavimus, etc.*

Et quidem in primis inter ea, quae in templo ad Dei cultum spectabant, omnium primo, ut notat Beda (*lib. 1. de de tabern. cap. 4*), iussa est fieri a Domino arca; et inter omnia etiam templi suppellectilia, ut mensam panum propositionis, candelabrum aureum, altare thymiamatis, et pleraque alia his similia, arca testamenti principem sedem obtinebat, utpote quae collocata erat in sancta sanctorum: haec duo in beata Virgine praeuclent, nam sicut arca foederis, prius quam reliqua fuit fabricata, ita beata Virgo inter omnes puras creaturas fuit prima omnium praedestinata, ut ex

verbis Salomonis (*Prov. 8*) in persona Virginis dicentis: *Dominus possedit me in initio vitarum suarum, antequam quicquam faceret, ab aeterno ordinata sum*, perspicuum fit: etenim per vias opera Dei intelligi, aperte testatur David, nam postquam dixerat (*Psal. 144*): *Iustus Dominus in omnibus viis suis*, exponens quoniam essent illae viae, continuo subiungit: *Et sanctus in omnibus operibus suis*. Unde divus Gregorius (*lib. 32. mor. cap. 18*) ait: *Quid nias Dei, nisi eius actiones accipimus, de quibus Propheta dicit: Non enim eius vias sicut viae vestrae*. Cum ergo ait, a Deo in initio vitarum suarum fuisse possessam, et ante reliquas creaturas factam, aperte significat, inter omnes puras creaturas primum locum habuisse in aeterna praedestinatione: et certe, cum Christus Dominus fuerit primus omnium praedestinatorum, et revera non fuerit praedestinatorum praecise ut homo, sed ut filius hominis, atque adeo, ut habiturus matrem, in cuius utero carnae assumeret; consequens est, beatam Virginem inclusam, et involatam fuisse in praedestinatione Christi Domini, et ideo inter puras creaturas primam simpliciter fuisse omnium praedestinatorum: potestem etiam locum debere illi tam in Ecclesia militanti, quam in triumphanti, vel sola Dei matris dignitas, quae omnem dignitatem transcendit, satis utique probat. Unde d. Bernardus dixit (*serm. 1. de assumpt.*): *Nec in terris locus dignior utriusque templi, in quo Filium Dei Maria suscepit, nec in coelis regali solio, quo Mariam hodie Martine virginitatis*.

Arca foederis fabricata erat ex lignis Sethim impatibilibus; id in b. Virgine minime desideratur; nam praeterquam propter excellentem confirmationem eius in gratia, omnia divina charitativa divinitus ei infusa, corruptio nisi non erant obnoxia, quia virtutes omnes in ea erant inamissibiles, certe etiam putredini, aut rubingi levissimae etiam culpae subiacere non poterat, quicquid haereticorum (*epist. 5. in edit. Rom.*) congruit: *Claudat sua ora perficit, obmutescat, nec matrem Domini aliquid quaeat temerare concilio*. Quare recte divus Bonav. (*in 3. distin. 3. part. 1. art. 1. q. 1*) dixit: *Congruat advocat generis humani, ut nullum haberet peccatum, congruebat, ut virgo ita vinceret diabolum, ut nec ei succumberet, ad modicum: congruum etiam fuit, ut sic esset immaculata mente, sicut imbecerrata carne*. Fuit tandem b. Virgo instar ligni Sethim, imo plusquam illud incorruptibilis, cum patredo humanae conditioni in poenam peccati data: *Pulvis es, et in pulverem reverteris*, in eam irruere non sit ausa. Unde noster Galatin. (*l. 7. de arc. c. 4. et 12*) ait: *Per ligna impatibilia, ex quibus constabat arca, significabatur, immaculatum b. Virginis corpus nunquam visurum corruptionem*. Imo si vera est quorundam medicorum sententia assentium, ita bene complexationa fuisse quaedam corpora humana, ut etiam humata longo tempore incorrupta fuerint servata; non est difficile intelligere, quomodo etiam absque miraculo incorruptum manserit in sepulchro corpus Deiparae, cum egregia adeo comple-

xione fuerit praeditum, ut nunquam in morbum incidere. Unde Synopronus (*in epist. Syn. quae habetur in 6. Synodo act. 11*) dixit: *Beatae Virginis corpus ab omni contagione fuisse liberum: idque facile mihi persuasum ex similitudine, quam habuit cum Christo: sane Christus omni morbo semper caruit propter egregiam eius complexionem, ac mirabilem temperantiam, ut expresse testatur d. Basilus (*in regul. brevior. interrogat. 177*), d. Athanas. (*lib. de Incarn. Verbi*), s. Thom. (*3. part. q. 14. art. 4*), cuius doctrina bene edoctus cardinalis Caietan. (*tom. 2. opusc. cap. 13*) de spasmo b. Virginis haec scripsit: *Disonum rationi est, b. Virginem aegritudinem aliquam passam esse, quia similis debet credi Filio per omnia, quantum fas est.**

Arca foederis auro mundissimo intus, et foris erat exornata, quod praeter vitam intus contemplativam, et foris activam, in quibus Deipara mirifice profulsit, duo praecipue adumbrat, quae b. Virginis excellentiam mirum in modum commendat. Primum, ardentem Virginis charitatem, qua Deum intus, et proximos foris prosequabatur: et quidem, etsi divus Augustinus (*lib. 9. confess. cap. 1*) diceret: *Sagittaveras tu Domine cor meum charitate tua?* quibus quomodo amoris sagittis putamus transfuxum cor b. Mariae: andiamus d. Bernar. (*serm. 19. in Cantic.*): *Sagitta electa est amor Christi, quae Mariae animam non modo confixit, sed etiam pertransiit, ut nullam in pectore virginis particulam amore vacuum relinqueret, sed toto corde, et tota anima, tota virtute diligeret.* Unde s. Thom. ex Hugone (*opusc. 8*) haec maxime observanda scripsit: *Quia in corde b. Virginis amor Spiritus s. singulariter ardebat, ideo in carne mirabilia faciebat, in tantum, quod de ea nasceretur Deus, et homo.* Quia tamen haec charitas b. Virginis non solum interior ad Deum, sed exterior ad proximos extendebatur, ideo ad id significandum (*3 Reg. 10*) legimus, thronum Salomonis eburneum vestitum esse auro fulvo nimis, et (*Exod. 25*) legimus, coccum bis tinctum, cuius usus frequens erat in cortinis tabernaculi: libro tandem Apocalypsis id ipsum plane significat mulier illa, quam vidit d. Ioannes amictum sole, omnes calefacientem, et splendorem ac calorem suum in omnes liberaliter effundentem: ad quod respiciens d. Bern. (*ser. super sign. magn.*) dixit: *Candidissimus, sed et candidissimus huius mulieris amictus, cuius splendore omnia tam excellenter irradiata noscuntur, ut nihil in ea, non dico tenebrosum, sed obscurum saltem, vel minus lucidum, sed ne tepidum quidem aliquid, aut ferventissimum liceat suspicari.* Secundo arbitror aurum illud interior, et exterior arcae, adumbrasse eximiam b. Virginis sanctitatem, qua inferno cultu Deum venerabatur, et suo exemplo alios exterius edificabat: haec enim ratione iuxta sententiam d. Bonaventurae cinnamomo, et balsamo comparatur (*Ecl. 24*): *Odor, inquit, ille Marinae fuit, sicut cinnamomum in cortice conversatio, sicut botanum interius in melleone deponitur; haec ille. Verum et balsami odor, ac suavolentia sanctitatis Deiparae, fragrantiam*

indicat, qua ad currendum post Christum excitat, iuxta illud (*Cont. 1*): *Currenus in odorem unguentorum tuorum.* Unde et ibidem (*Ecl. 6*) in persona Deiparae ait: *Sicut balsamum aromatizans odorem dedit: qua in re illud penitiam in balsamo oleo observandum censui, quod virtutem quandam masculam, et fortem habeat, quod praeraculum, ac praecelentem Deiparae virtutem, non mollem aut effoeminatam significat.* Balsamum quidem, veluti nobile, ac generosum, reliquis unguentis praestans, viris adhiberi solebat, foeminis vero magis congruebat amomum Assyrium, aliaque id genus delicata unguenta, quibus reges Assyriorum, quorum nobilissimus est luxus, utebantur; idque salis exprimit Martialis (*lib. 4. epigram. 54*):

Balsama me cupiunt, haec sunt unguenta virorum.
Delicias Nini vos redolente nuntus.

Secundo balsamum olim uni Iudaeae, nulli praeterea religioni erat consecutum, quod non tantum Plinius, sed etiam Iustinus (*lib. 36*), Strabo (*lib. 16*), Solinus (*c. 36*) affirmant; nam ex Iosepho (*lib. 8. antiquit. cap. 6*) fertur, regina Saba balsami radicem Salomonis dono dedisse, et ideo in sola Iudaea reperiri, ut propterea ex Plinio loco citato, Pompeius devicta Iudaea, balsami arbusculas in triumpho duxerit, et Vespasiani imperatoris iterum ipsam, Roman Iudaea vasata, attulerant, quo tempore Iudaei, ne in potestatem Romanorum venirent, eam prorsus excidere senti conati, ut diximus ex Plinio, nisi Romani armis eam servassent. Quare Virgil. (*in 2. Georg.*) refertur suas cuique regioni datas arbores, sic de balsamo cecinit:

Divisae arboribus patriae: sola India nigrum
Fert ebanum: solis est thurea virga Sabaeis.
Quid tibi odorato referam sudantia ligno
Balsamaque et haccas semper frontentis acanthi?

At vero circa Christi Domini adventum videtur balsami frater nullis in locis propagatus: nam Dioscorides, qui circa Christi tempora claruit, et Avicenna in Aegypto eam nasci testantur, quibus consensit Borchardus in descriptione terrae sanctae (*part. 2. cap. 4*), ubi inter Heliopolim, et Babyloniam medio fere loco a se visum refert hortum balsami, qui nisi irrigetur aqua ex fonte, in quo Deipara dicitur in Aegypto manere, fila lavit, fructum minime edit. Solinus etiam (*lib. 6*) ait, balsami lucos, devicta Iudaea, ita propagatos, ut iam laetissimis colles sident balsama. Strabo (*lib. 17*) tradit, silvestre balsamum oriri in maritimis Babaeorum; et Pausanias (*lib. 9*), in Arabia saltem arbores ponit, ac tandem ex India occidentali nos testes sumus, magnam balsami copiam asportari. Hoc autem quis non videat, quam apte in Deiparam conveniat, cum aliquo prius uni solum nola Iudaeae, divulgata vero evangelica illa virtute, Verbum divinum humanam carnem in eius utero assumpsisse, eximia sanctitatis eius odor omnes recree Ecclesiae fideles, exemploque suo ad Christo in-

serviendum mirum in modum eos conciliat. Licet autem non semel contingat, balsamum admixtione olei, vel mellis vitari; beata autem Virgo, utpote omnis maculae semper experta, purum balsamum fuit absque alicuius imperfectionis mixtione. Unde ipsa ait (*Ecl. 24*): *Quasi balsamum non mixtum odor meus: super quae verba sanctus doctor Bonavent. (*in spec. B. Virg. cap. 5*) dixit: Balsamum misceri solet melle, vel oleo; sed certe balsamum Spiritus s. in b. Maria non fuit mixtum, quia nec melle carnalitate, et mundanae consolationis, nec oleo vanae laudis, et adulationis fuit vitiatum, sed vera, et pura b. Mariae gratia fuit. Neque silentio praeteribo, quod Pausanias (*in ethic. lib. 9*) scribit, in Arabia plurimas vipersas sub balsami arboribus commorantes, venenum amittere ex balsami pastu, et hoc id eorum morsus nihil veneni inferre: hoc sane mihi ob oculos ponit praesidium Deiparae Virginis, quae mystica est balsami arbor: ita enim in daemonibus, per serpentes significatis, venenum eorum suppressit, ut diversarum suggestionum morsus, quibus illi Deiparae famulos inficere salagunt, nihil pro eis noceant.*

Arca foederis operiebatur propitiatorio, seu oraculo de auro mundissimo, et, ut (*Exod. 25*) dicitur, cum Deus inde cum Moysse loqueretur, oracula, seu divina sua responsa dabat, ac populo se propitium exhibebat. Unde et Saul, ut habetur (*1 Reg. 14*), consulere volens divinum oraculum sacerdoti dicebat: *Applica arcam Dei, ita Deus per b. Virginem, tanquam per propitiatorium universae terrae, ut loquitur s. Ephrem (*orat. de laud. b. Virgin.*), seu commune reconciliatorium, ut eam appellat b. Andreas Cretenensis (*orat. 2. de dormit. Deip.*): Precibus nostris misericorditer annuens, respondet, et per illam tanquam per advocatricem orationes nostras exaudit.* Quare s. Bonavent. (*in spec. b. Virg. cap. 8*) dixit: *Maria fidelissima mediatrix salutis, veluti fidelissima columba inter summum Noe, et mundum spirituales diluvio submersum. Eva autem, velut corvus in diluvio infidelissima mediatrix fuit perditionis.* Sed altius d. Anselmus, cuius verba refert d. Antoninus (*4. p. 15. cap. 14. § 7*), dum ait: *Haec est figurata in illa prudentissima muliere Thecuite, (3. Reg. 14), quae ita sapienter advocavit apud regem David in causa Absalonis, vana, superbi, et fratricidae, exulis facti propter tantum scelus a Hierusalem, quod induxit patrem David ad misericordiam erga filium, et ab exilio revocandum; sic ergo Virgo Maria pro mundo rebeli ipsi Deo, et occisore fratris sui, id est, animi sui, propter quod caelum constituitur a suprema Hierusalem, ita advocat, et interpellat, ut Deum Patrem placeat, et universum ad poenitentiam, et ad gloriam inducat.*

Atque haec b. Virginis efficacem intercessionem respiciens s. Thom. (*opusc. 8*), cum probasset, h. Virginem plenam esse gratia, primo in anima, secundo, quoad redupantiam in corpore, tertio probat, quoad effusionem in nos: verba eius sunt haec: *Tertio plena fuit gratia non solum in se, sed quantum ad refugium in omnes homines. Magnam enim est in*

quolibet sancto, quando habet tantum de gratia, quod sufficit ad salutem multorum; sed quando haberet tantum, quod sufficeret ad salutem omnium hominum de mundo, tunc esset maximam; et hoc est in Christo, et in b. Virgine: nam in omni periculo, etenim (*Cantic. 4*) *Mille clypei, id est, remedia contra pericula, pendunt ex ea.*

Erat in arca foederis duo cherubini auri portatiles, qui ex utraque parte oraculi versis vultibus se mutuo aspicientes, expansis alis utraque latus propitiatorii tegebant. Quidam volunt per hos cherubinos, qui, ut d. Hieronymus interpretatur (*in cap. 10. Ezechiel.*), plenitudinem scientiae sonant, profundissimam beatissimae Virginis sapientiam denotari, in qua adeo excelluit, ut s. Bernardus (*serm. super sign. magn.*) non dubitavit dicere: *Maria iure sole perhibetur amicta, quae profundissimam divinae sapientiae, ultra quam credi potest, penetrauit abyssum, ut quantum sine personalitatis unione creaturae conditio patitur, luci illi inaccessibili videretur immersa.* Et quidem, si dilectus discipulus Ioannes in ultima coena sub pectus Domini recumbens, fluentia Evangelii de ipso sacro Dominici pectoris fonte potavit, ut in eius festo emit Ecclesia; quanto maiora divinae sapientiae arca haussit crepusculum Deiparae, quae non ad breve tempus unius coenae, sed per novem interitus menses Christum in utero gestavit, et toto tempore eius infantiae, gremio, et manibus suis balnavit, ac per triginta, et tres annos eius doctrina mirifice fuit imbuta. Verum ego cum nostro Nicolao Lyrano (*in mor. exop. Exod. cap. 25*) arbitror, per Cherubinos illos arcam concomitantes, assistentiam angelorum b. Virginis, tam in Ecclesia militanti, quam triumphanti semper assistentium, adumbrari; et quidem in infantia ei aditissis non minus, ut reliquis infantibus, sed plures, his verbis testatur d. Ioannes Damasc. (*orat. 1. de Nativit. b. Virg.*): *O sanctissima fita, quae materni uberi lacte aleris, et ab angelis undique cingitur.* Quod autem hi angeli essent, audi beatum Gregorium Nicomediensis. (*orat. de oblatione Deip.*): ubi postquam narraverat b. Virginis in templo, cum triennis esset, degenti, cingi ab angelis deferri solent, subicit: *Operiebat non unum solum ei sericis angelum, sed decies mille milia cum stipare.* Et s. Hieronymus (*in lib. de Nativit. Mariae tom. 9*) loquens de vita a b. Virgine in templo traducta inquit: *Quotidie ab angelis frequentabatur, quotidie divina visione fruebatur, quae eam a multis omnibus custodiebat, et bonis omnibus redundare faciebat.* In caelesti antem patria angelos specialiter assistere b. Virgini ad eum mundum, quo alicui regni assistenti reginae, non obscure illud indicat, quod Ioannes (*Apoc. 4*) ait, septem spiritus vidisse, qui assistebant throno Dei, per quem beatam Virginem adumbrari, quae veri, ac pacifici Salomonis thronum fuit, clare patet, ut testatur s. Patres, s. Augustinus, Epiphanius, Athanasius, immo et d. Iacob. Apost. ad quod respiciens Illuminatus Mayron (*ser. de creat. animae b. Virg.*) dixit: *Privilegium huius stellae maris est, quod habet septiformitatem in ambitu, quia septem stellae*

notabiles voluntur circa eam, ideo eius regio dicitur septentrionalis, ita et mater Domini dicitur habere septem angelos notabiles qui assistunt eius throno, de quorum numero est b. Raphael, ut dicitur in Tobia. Ne autem quispiam dicat, illuminatum docerem ex Marte suo hoc excogitasse, attendat quaedam, id ipsum revelatum fuisse beato nostro Amadeo: nam, ut legitur (3. p. Chronic. seraphici nostri patris s. Francisci lib. 6. cap. 30), h. Amadeus cum in primo rapta coelestem curiam vidisset, audivit Gabrielem haec sibi dicentem: *Septem angeli sumus, qui Genitricem Dei nostri veneramus, alios omnes vestri generis praecedimus.* Quod et confirmant antiquae, ac perveustae quaedam imagines: etenim Venetiis apud sanctum Marcum, imago septem angelorum virgas manu praefertentium, Mosayo opere affabrefacta, ita est constituta, ut stantes angeli b. Virginem circumstant: idem quoque in celebri, et antiqua imagine Deiparae in monte Virginis cernitur, quae septem est circumcincta angelis: quod idem etiam videre est in imagine s. Mariae angelorum Romae in thermis Diocletianis, quae in supremo altari colitur; et non solum illi septem angeli, sed et reliqui omnes angelici spiritus, b. Virginem semper collaudantes, ante conspectum eius singulari cum reverentia adstant, ut his verbis dixit s. Bonaventura (in comment. cant. Te Deum laudamus): *Tibi omnes angeli, et archangeli, tibi throni, et principatus fideliter deserviunt; tibi omnes potestates, et omnes virtutes caeli coelorum, et universae dominationes obediunt, tibi omnes chori, tibi cherubim, et seraphim assistunt, tibi omnis angelica creatura incessabili voce proclamant: sancta, sancta, sancta, Maria, Dei genitrix, mater, et virgo.* Ac tandem noster s. Bernardinus Senensis (tom. 1. concion. 61. art. 1. cap. 6) ait: *Tot creaturae serviunt gloriosae Virgini Mariae, quot serviunt Trinitati, sive spirituales, ut angeli, sive rationales, ut homines, sive corporales, ut caeli, et elementa: omnia haec sunt divino imperio subiugata, et gloriosae Virgini subiecta. Ino et ille, qui Filius Dei est, Virgini benedictae matri immaculatae in terra; haec ille. Adeo autem angeli omnes b. Virgini assistentes, eius regio imperio obsequentes se exhibent, et in mandatis eius exequendis tam sedulos, ac diligentes, ut in revelationibus s. Birgittae (in serm. Ang. quam quidam angeli, ex Dei praee. eidem dicit. cap. 20) haec verba legamus: *Angeli postmodum obediunt b. Virgini effecti sunt, quod omnes inferni poenas libenter sustinerent, quam aliquibus suis preceptis in aliquo contradicere.**

Arca foederis manna continebat, virgam Aaron, et tabulas legis, quod mirifice adumbrat beatam Virginem, quae Christum Dominum per haec ita adumsum significatum, per novem menses portavit. Etenim corpus Christi manna dulcissimum est, quo vescimur, et nutritur in Eucharistiae sacramento. Tabulae legis, tres animae Christi potentiae, in quibus absconditi erant, ut loquitur divus Paulus (Coloss. 2.) Virga, quae domini symbolum semper fuit, apte exprimit divinitatem eius. Vel aliter

diciamus, intra Virginei uteri arcam delituisse Christum Dominum recte per virgam Aaronicam adumbrari propter regalem, ac pontificiam eius potestatem, ad quem respiciens David (Psalm. 109) dixit: *Virgini virtutis suae emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum.* Manna autem in arca inclumum pariter cum virga, lenitatem Christi Domini cum virga potestatis eius coniunctam esse demonstrat: etenim dulcedo mammae severitate virgae temperatur; et quidem utrumque est valde necessarium in principe, nam cum boni, et mali sub eius degant dominio, virga opus est propter malos, manna propter bonos. Unde ad idipsum significandam David virgam, et baculum simul coniunxit (Psalm. 22) dicens: *Virga tua, et baculus iuris, ipsa me consolata sunt.* Tabulae tandem legis, quae in arca aderant, praeterquam quod eundem Christum, Sapientiam Patris, ac supremum legislatorem apte denotant, qui tam veteris, quam novae legis auctor extitit: etenim illae posteriores tabulae in arca repositae, typum gesserant legis novae, cum priores, quae fractae fuerant, legem veterem aliquando abolendam designassent, ut adnotant divus Augustinus, et divus Ambrosius: ad quod alludens divus Paulus (2. ad Corinth. 3) dixit: *Epistola estis Christi, ministrata a nobis, et scripta non atramento, sed spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis; praeter hoc, inquam, in eisdem tabulis significatur Christus Dominus, quatenus perfectus legis observator, qui exactissime Dei voluntatem implevit, iuxta illud (Psalm. 39): *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei.* Atque hoc est illud imperium super humeros eius constitutum, cuius meminit Isaias: nam ubi (c. 9) Vulgatus interpres legit: *Factus est principalis super humerum eius, Paraphrasae Chaldaeus transulit: Susecepit legem super se, ut servaret eam.**

Possimus etiam aliter haec tria interpretari, ad virtutes b. Virginis illa referentes: manna enim Deiparae misericordiam dulcissimam egregie significat, quae in nos maternae pietatis viscera exhibens, Dei flagella vel poenitentiam averit, vel magna ex parte mitigat. Tabulae legis, divina mandata servandi studium, quo b. Virgo flagrabat, comode denotant: quae melior sane, quam David, canere potuisset illud (Psalm. 30): *Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei.* Virga denique regiam potestatem ac dominium designat, quo a filio cunctis est praelata creaturis.

Tandem Arcae foederis inerat corona aurea, quae circumdabat illam. Certe, cum corona aurea regium insigne sit, luculentis satis indicat, b. Virgineo reginam esse caeli et terrae. Unde s. Ephrem (or. de b. V.) vocat illam dominam, principem atque reginam praestantissimam, et perquam benedictam, dominam dominam purissimam. Ino s. Antoninus (4. par. tit. 15. cap. 22. §. 9) b. Mariam appellat Imperatricem, et monarcham mundi. Rationem autem, ob quam b. Virgini debita sit regia dignitas, reddidit s. Augustinus (sermon.

35. de sanct.) in haec verba: *Sufficere debet natura humanae, hanc vero saltem reginam coelorum. Memorit eius eam, quod regem peperit angelorum.* Meminit eisdem rationis s. Petrus Chrysologus (serm. 142), dum inquit: *Maria Hebraeo sermone, Latine Domina nuncupatur, nasci et vocari Dominam, ipsa sui germinis, idest, Christi filii fecit, et imperavit auctoritas.* Verum Deiparae Virgini non solum fuit imposita regia corona, regali eius dignitati debita; sed et multiplex alia: s. Thomas (in 4. distin. 49. q. 3. art. 5. quaest. 1. et 3) loquens de coronis, quas aureolas vocant theologi, haec scripsit: *Est privilegium quoddam praemium, respondens privilegiae victoriae circa opera perfectionis, in quibus homo maxime Christo conformatur secundum perfectam victoriam. Porro aureola tribus hominum statibus, virginibus scilicet, doctoribus, et martyribus tribuitur: et sane in eadem aureolas species iuxta meritum ex parte ipsius operis, ob quae aureola excellentior uni, quam alteri conferitur; haecenus doct. Thomas, ex quibus palam fit, aureolas, quibus Deipara exornatur, reliquis omnium aliorum beatorum praestantiores, ac rutilantiores esse. Sane eo illustrior virginitalis corona Deiparae debebatur, quo eius virginitas in eo prae ceteris eminent, quod cum aliorum omnium virginitas sterilis sit, nullum foetum producat, illius tamen foecunda fuit, humanam pariter, et divinam prolem concepit, et pariens, ad quae significandum in persona ipsius Virginis ait (Eccles. 24): *Flores mei, fructus virginis, et honestatis.* Certe in arboribus flores non sunt pariter, et fructus, sed floribus decidentibus fructus succedunt: non sic autem in b. Virgine: flos enim symbolum est virginitalis, fructus vero foecunditatis. Cum ergo flos Deiparae fructus honoris et honestatis sint, plane significatur virginitalis eius foecunda, et foecunditas virginis singulari aureolae praemio digna, sicut et singularis est, insulae phoenicis, copulatio virginitalis cum foecunditate.*

Acedit, quod, praeter hanc praecellentem virginitalis aureolam b. Virgo fructum continentiae continentiam, qui virginibus deputatus est, obtinuit (Mat. 13): *Alia ceciderunt in terram bonam, et dabant fructum; aliud continentiam, aliud sexagesimum, et aliud quinquagesimum.* Primum convenit virginibus; secundus viduus et aliis se continentibus; tertius coniugatis, ad alienam non accedentibus, ut unanimi sententia interpretantur Patres, d. Cyprianus, Athanasius, d. Thomas, s. Antoninus, necnon s. Hieronymus multis in locis, praesertim tamen in apologia adversus Iovinianum, ubi ex arte numerandi per digitos hoc ipsum perdocte confirmat, quod et Marianus Victorinus (in notis ad illud loc.) d. Hieronymi ex Beda erudite explicat. Est autem fructus iste centesimus praemium quoddam accidentale, non solum ab aurea, sed et ab aureola distinctum; quatenus, ut docet s. Thomas praecitato loco, quispiam a carnali vita in quandam vilam spiritualium per continentiam transit; ratione cuius speciale gaudium prae ceteris virginibus exhilarat, eo quod propter Christum, omnem prorsus veneram, etiam

licitam sperverint voluptatem. Ex quo aperto liquet, fructum hunc centesimum longe in Deipara praestantiorum fuisse, quam in reliquis virginibus: quippe quae propter suam, plusquam angelicam puritatem, et ac deam sanctimoniam, tota spiritualis, et in Deum transfusata, omnes virginis longe superet.

Deinde Deiparam doctorum aureola donatam fuisse, dubitari non potest: haec enim conferitur propter victoriam, qua quis non solum a se, sed a cordibus aliorum, doctrinae lumine tenebras fugat, ac daemones illas immittentem longe propulsat: nec opus est, ut id faciat per publicam praedicationem, sed satis est, etiam si privatim doctrinam fidei communit, ut docet s. Thomas (in 4. dist. 49. quaest. 5. art. 5. ad 5); b. autem Virgo non solum docuit vulgares homines, sed Apostolos ipsos Ecclesiae archimagistros, ut s. Birgitta (in serm. reel. in serm. angel. cap. 19) his verbis testatum reliquit: *Ascendite Filio ad regnum vestrum, Virgo Maria in hoc mundo ad honorem consolationem, et errantium correctionem remanere permessa est: erat enim magistra apostolorum, confortatrix martyrum, doctrix confessorum, clarissimum speculum virginum, consolatrix viduarum, in consilio centium saluberrima monitrix, atque omnium in fide catholica perfectissima roboratrix.* Apostolis namque ad se venientibus, omnia, quae de suo filio perfecte non noverant, revelabat, et rationabiliter declarabat. Martyres quoque ad tribulationes per Christi nomine susferendas animabat. Quare eruditus auctor Supplementi Gabriel (in 4. dist. 49. q. 4. artic. 3. dub. 2) sane dixit: *B. Virgine doctorum aureola reliquis aliis praestantior esse coronatum, quoniam non solum vulgarem hominum, sed et apostolorum, et magnorum theologorum doctrix fuit, ac Ecclesiae retores, patres, et magistros sua sapientia illuminavit.*

Rursus, Deiparam martyrum coronam meruisse, praeter Hieronymum, Idephonsum, Bernardum, Anselmum, et b. Birgittam, qui pleno ore Mariam martyrem appellant; id probat d. Antoninus (4. par. tit. 15. cap. 24), auctor Supplementi Gabriel (in 4. dist. 49. q. 4. art. 3. dub. 2), Viguierus (in suis Constit. cap. 14. §. 3. vers. 2), Salmeron (tom. 10. tract. 51), nosque ex professo copiose id ostendimus (lib. 12). Quare paucis quaedam, quae ibi omisi, nunc apponam. Certe, quod attinet ad essentialiam coronam martyri debitam, nulla ratione dubitari potest, illam meruisse: nam si de s. Martino Ecclesia catholica in eius officio canit: *O sanctissima anima, quam tamen gladius persectoris non abstulit, palam tamen martyrii non ausit;* multo certius est, Dei Genitricem illam non amisisse. De accidentalibus coronam aureolam vocant theologi, licet nonnulli dubitarint, arbitrari illa non carnis, quia, ut Anselmus (praec. loc.) dixit: *B. Virgo in passione Christi vere interisset prae magnitudine doloris, nisi ab eo praeservata esset.* Praeservatio vero, sicut non abstulit meritum, ita nec praemium; immo hoc ubi verius suscipere credendum est; tum quia, sicut aere Christi omnes martyres superabat, ita et dolore compassionis omnibus illis acius angebatur: tum

quia cruciatus martyrum breves fuerunt; interni autem beate Virginis dolores ob Christi mortem, et animam eius graviter sauciantes, et per redundantiam corporis affligentes, valde prolixi, ac longissimi fuerunt, cum a tempore consensus in matrem Dei, quem per illa verba praesiliit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*, (Luc. 1), futurae passionis acerba memoria ancipiti doloris gladio continuo transverberavit usque ad ultimum vitae habitum, ut his verbis eleganter tradit Rupertus (in cap. 1. Cant.): *Nolite solum attendere horam, vel diem illam, in qua vidi talem dilectum ab improbis comprehensum, male tractari, scilicet illud, spinis coronari, flagellari, crucifigi, felle et acetoolari, lanceari, mori, et sepeliri: nam tunc quidem gladius animam meam pertransiit, sed antea, quam sic pertransiit, longum per me transitum fecit: prophetisa namque eram, et ex quo mater facta sum, scivi illa passuram. Cum igitur carne mea taliter progenitum, talem filium sinu meo foverem, ulnis gestarem, uberibus lactarem, et talem eius futuram mortem semper prae oculis habere, et propheta, immo, plusquam propheta mente praeciderem, qualem, quantum, quam prolicam me putatis materni doloris pertulisse passionem? hoc est, quod dico: fosciculus myrrhae, dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. O commoratio dulcis quidem, sed plena genitibus inenarrabilibus, ad ubera de foris cingebatur, et isdem lactabatur uberibus, simulque inter ubera intus in corde praesio futurorum semper patebat quali esset morte moriturum; hactenus Rupertus: quibus consonant multa, quae nosler s. Bernardinus scripsit (t. 3. ser. 6, art. 2), ut inter alia ait, b. Virginem consensisse ad concipiendum filium Dei statuto tempore crucifigendum: verba eius sunt haec: *Crucifixa crucifixum concepit, ordinavitque summa sapientia Dei, quod eodem die Christum concepit, quo etiam fuit passus. Quod non solum d. Bernardinus, sed plures eruditi doctores asseruere, tradentes eodem mense, et eodem die Christum conceptum, et crucifixum: idque non obscure mihi indicatum videtur per Zachariam (cap. 3), ubi Dominus agens de Christo, ut homo est, sub typo lapidis habentis oculos sepit, subdit: *Ecce ego caeculo sculpturam eius, ait Dominus, et auferam iniquitatem terrae in die uno*; quasi dicat: ego ipse corpus Christi formabo in utero Virginis, et eodem die post aliquot annos per crucem delebitur iniquitas terrae: utraque enim dies ex d. Ioanne Chrysostomo (hom. de nativ. s. Ioann. Bapt.), dies coenae purae fuit, ut eius verbis utar; in qua luna decimaquarta occurrit; quae etiam in februario sextam, quam diem Veneris dieimus, incidit iuxta auctores supra citatos annuati b. Virginis, et in eundem hebdomadae diem Christi Domini passio, et tam annuatio, quam etiam passio in diem 25. Martii, incidunt; et eodem passionem Domini feria sexta factam fuisse ex Evangeliorum historia, et Ecclesiae traditione habemus; quod vero die eadem fuerit incarnatio, plerique colligunt ex supputatione tabularum astronomicarum. Et praeterea, quia, ut in (6. Synod. cap. 8) dici-**

tur: *Nativitas Domini in diem dominicam incidit*: quod et s. Bonaventura affirmat (in med. cap. 7) ex revelatione quadam, et cardinalis Baronius (in not. marty. 25. die Dec.), et Pererius (tom. 1. in Genes.). Ex quo rursus colligit, annunciationem b. Virginis in praecedenti Martio fuisse Feria sexta, praeterita die 25. Martii, quo in Ecclesia celebratur Incarnatio, seu b. Virginis annuatio: fuisse etiam Domini passionem tenet d. Augustinus (lib. 4. de Trinitat. cap. 5): *Sicut, inquit, a maioribus traditum, suscipiens Ecclesiam custodit auctoritas. Octavo enim Kalend. Aprilis conceptus creditur, quo et passus, ita monumento noeo, quo sepultus est, ubi nullus erat mortuorum positus, nec ante, nec postea, congruit uteris b. Virginis quo conceptus est, ubi nullus seminatus est mortaliu: natalis autem traditur octavo Kalend. Januarii; haec d. Augustinus: quod etiam a libi docet. His adspulatur martyrologium, ubi 25. die Martii postulat commemoratio sancti Latronis, qui Christum in cruce confessus est; et, ut refert Beda de ratione temporum (cap. 28, et 45), plures Ecclesiae magistri, et doctores ecclesiastici tradiderunt, Christum passum fuisse 25. die martii.*

Porro, praeter haec, quae de area foederis sacer textus probat (Exod. 25) alia divina eologia commemorant, quae silere non licet, cum multa, et eaque praeterea beatae Virginis adumbrent encomia. (Lib. Num. 10) cum elevaretur area, dicebat Moyses: *Surge Domine, et dissipentur inimici tui, et fugiant, qui advenit te a facie tua*: quae verba explicans s. Bernardinus (tom. 3. serm. 11. artic. 1. cap. 2) de Deipara, ait his verbis: *Mystice innuitur, quod quando elevata fuit gloriosa ad caelestia regna, daemones potentia inminuta est, et dissipata. Unde ipsa dicere potest illud Ecclesiasticum, superhorum, et sublimium colla propria virtute calcari. In idem etiam recidit, quod (Ios. 6) habetur, nimirum Ierichonitibus muros area Domini circumdata elegantibus tubis corruisse. Idem enim d. Ioannes Damascenus (art. 2. de dormit. Deip.) ad beatae Virginis potentiam in coercendis Iarlaris hostibus referit, dicens: *Iudilem in area Domini Dei toto animo, et mari cadent Ierichonitini, contrariarumque potentatum infestae munitiones. Idipsum etiam adstruit, quod (1. Reg. 5) legimus, arcam Dei a Philistaeis captam, idolorum dragonem evertisse, eidemque caput, et manus praecidisse, Azotios, reliquosque populi Dei inimicos percussisse, et multis plagis affecisse: quod sane nemo catholicus dubitare potest, frequenter a b. Virgine factitari, dum daemonum adversus nos rabiem compescit, et ab eorum telis incolomes nos servat: immo et nostris pedibus eos prosternit, ut merito singulis dici possit (Psal. 90): *Super aspidem, et basiliscum deambulabis, et conculcabis leonem, et draconem. Quid plura? Certe percussio Oziae super irreverentia, qua extendit manum ad arcam Dei (2. Reg. 6), satis nobis indicat, quam religioso cultu animata haec Deiparae area a nobis tractanda sit; maxime quod, si (1. Reg. 6) de viris Bethsamitibus dicitur; percussos fuisse a Domino septuaginta viros de populo, et quinquaginta milia ple-***

bis, ea solum ratione, buod vidissent arcam Domini; magna cautio, ac diligentia nobis opus est, ut nec levisissimam irreverentiam in cultu Deiparae Virginis committamus, certo credentes, non futuram inillam, et impunitam a Domino.

Ad haec de area foederis lego (lib. 3. Reg. cap. 8), inductam fuisse a sacerdotibus in templum Salomonis, et intra sancta sanctorum collocatam; quod d. Bonaventura (in spec. b. Virg.) de illa in coelum assumpta, et a summo Sacerdote Christo Domino in caelestis gloriae templo super omnes angelicas acies collocata, mystice interpretatur, secutus in hoc d. Ildephonsus (serm. 1. de Virg. Deip. assumpt. in sin.). Appropinquans similem locum (Apoc. 11): *Appropinquat et templum Dei in coelo, et visa est area testamenti in templo, et facta sunt fulgura, voces, et tonitrua, haec dicit: Quae profecto area non illa Moysi fabrica, sed b. Virgo Maria est, quae hinc iam transposita erat, quam beat. Ioannes Evangelista testis veritatis, cui commissae est forte recognoscens, venerabiliter effatur; haec ille. Id autem, quod ibidem subdit sacer textus: *visa area facta fuisse fulgura voces, et tonitrua, quidam interpretantur de illustrationibus, et conversionibus peccatorum, qui nunc ex blanda b. Virginis admonitione, nunc ex terrificae concussione in Deum convertuntur. Verum divus Bernardus (tom. 2) exponit illa de reconditis mysteriis, quae b. Virgo sanctissima suis famulis pandere dignatur; verba eius sunt haec: *Ioannes in Apocal. de throno ait, scilicet de b. Maria, praecedebant fulgura, voces et tonitrua, quia mater filii Iesu Christi parabalas, aenigmata, legalia, et mystica gesta, dicta, et opera avidius oblit, fidelius credidit sincerius, luculentiusque altis edidit.***

Ad extremum illud, quod (Numer. 10) de area foederis dicitur: *Area autem foederis Domini praecedebat eos, providens castrorum locum, aperte nobis indicat munus, quo fungitur Deipara in coelo, sua intercessione nobis providens locum manendi in caelesti patria, ad quam nos perducere dignetur Filius eius, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.*

HOMILIA XII.

In eadem verba divi Lucae: *Beatus venter, qui te portavit, Deipara Virgo mihi fulguranti comparatur, iuxta sanctorum Patrum doctrinam, quam similitudinem varia, ac multiplici, tam divina, quam humana eruditione illustramus.*

Beatae Virginem sub typo nubis significari, vaticinium Isaiae non obscure commonstrat: *Ascendit Dominus super nubem levem, et ingreditur Aegyptum. Etenim sanctus Athanasius, Cyrillus Hierosolymitanus, Anselmus, Ioannes Chrysostomus, divus Bonaventura, et alii non*

pauci, per nubem levem Mariam intelligunt. nullo peccati pondere praegravata: sicut autem in convallate nubis ex vapore eius vehementer inflammato fulgur generatur, ita Christus Dominus, qui se fulguri comparavit (Mat. 24): *Sicut fulgur exiit ab oriente, ita erit adventus filii hominis, intra convallatem viscerum b. Mariae genitus fuit. Unde sanctus Methodius martyr (or. in hyp. Dom.) vocat Virginem nubem fulgurantem: *Fulgurasti, inquit, o Genitrix, suavia nobis dona produxisti, fulgurasti luminis solaris ardentissimis facibus, serenissimae nempe dilectionis aestu, quod ante principium fuerat, in fine pariens, palam faciens occultum sacramentum, ineffabilem invisibilis Patris filium. Et brevis s. Epiphanius (serm. de laud. Virg.): *O beata Virgo, nubes es lucida, quae fulgur lucidissimum ad illuminandum mundum deduxisti Christum.***

Verum, quia quidam cum doctissimo Ambrosio, illud inter fulgur et fulmen constitunt discernere, quod fulmen est telum, quod in terram decidit, fulgur vero, lux, seu splendor illius, qui repente, et inopinante apparet, faciente ostendam, beatam Virginem Christum parientem, nubem esse, ex se utrumque emittentem. Et quidem cum Christus Dominus ait splendor Patris, ut loquitur d. Paulus (Hebr. 1), et lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, ut ait d. Ioannes (c. 1), et b. Virgo conceperit, et peperit Christum; consequens est, lucem hanc incretam, et splendorem Patris produxisse: unde s. Epiphanius (praec. loc.) ad beatam Virginem haec verba dirigit: *O Virgo sancta, lucis aeternae mater, lucis, inquam, quae in caelis illuminat copias angelorum: lucis, quae illuminat omnes splendidi facibus: lucis, quae fines terrae illuminat ad credendum Trinitati: lucis, quae dixit: ego sum lux mundi. Unde merito mihi videtur praefigurata b. Virgo per fontem solis, de quo (Ios. 15) aut per solis civitatem, cuius meminit Isaia (cap. 49): *Civitas solis vocabitur, una scilicet Maria unice a Deo dilecta, quae Solem iustitiae, instar fulguris consuscant parturivit. Deinde Christus Dominus fulmen est: etenim sicut, ut philosophi docent, fulmen constat partibus igneis, quibus in sublime tendit, et partibus terreis ignea illa natura deprimitur ad terram, ita Christus Dominus, cum pariter sit Deus, et homo, constat igne divinitatis, et terrestri materia humanitatis, per quam ignea illa deitatis natura tunc ad terram usque depressa est, cum Verbum caro factum est. Ex eo etiam fulmen esse perhibetur, quia instar fulminis conerit, et dissipat inimicos suos, ipso die (Matth. cap. 21): *Super quem vero ceciderit, conteret eum: et David (Psalm. 2): *Tantum vas figuli confringes eos: et d. Paulus (2. ad Thess. 2), Antichristum Interficiet spiritu oris sui. Quod et vaticinatus fuerat Isaia (c. 11) cum dixit: *Percutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium. Quare d. Leo (serm. 1. de Pass.) acule dixit: *Illud Christi verbum ego sum: manum illam ex ferocissimis congregate, quasi quodam fulmineo ictu straeit, atque percussit, ut omnes illi atroces, minaces, atque terribiles retracti corruerent.******

runt, quidnam poterit maiestas eius iudicantis, cuius hoc potuit humilitas iudicanda? Quibus non dissimilia sunt illa d. Augustini (serm. 30) dicentis: Quid erit tribunal iudicantis, quando superbos reges cuna terreat infantis? Cum hunc ergo infantem Maria enixa sit, non solum nubes, ex qua fulgur, sed ex qua fulmen pariter proderit, esse comprobatur. Refert Pierius Valerianus, secunda, ac felici fortuna Alexandrum demulcente, praecepisse ipsum peritissimo illi pictori Apelli, ut imaginem eius ad vivum exprimeret; ea tamen arte, et industria, ut non solum externa corporis delineamenta, sed et internas animi eius virtutes adamussim imago illa referret: difficultatem huius provinciae alta cogitatione perpendens Apelles, post multa, ac diversa ab eo cogitata, quae in varias sententias illum trahebant, tandem in hanc incidit animi conceptionem: Alexandri imaginem ad vivum depinxit, manu fulmen tenentem. Videbitur forsitan alicui satius fuisse de vicis ab eo urbes, aut triumphos propter parvas victorias, aut capita regum praecisa, aut regias coronas, quas a principum mundi capitibus evulserat, vel certe vexilla capta, aut similia alia spolia iuxta Alexandri imaginem depinxisse; ad sapientiam multo ille fecit, cum ad exprimentam interna Alexandri animi ornamenta, fulmen in manu sua illum tenentem depinxit, tum quia, sicut fulmina mittere proprium Dei solius opus est, iuxta illud Ovid. Nason. (lib. de Pont.):

Iupiter in multis temeraria fulmina torquet;

ita acerrimos hostes profligare, ac universum orbem sibi subiugare, argumentum erat divinae causam fortitudinis, et potentiae in Alexandro latentis: tum quia, sicut fulmen ea praeditum est innata virtute, ut sonus, et fragor eius ad longa audiat intervalia, et audientes ingenti pavore contremiscere faciat, ita heroicae Alexandri gesta adeo insuenerunt, ut Spiritus sanctus (lib. 1. Machab. cap. 1) dicat: Situit terra in conspectu eius: ac si diceret: nullius, nisi Alexandri arma perstrepebant, nullius, nisi Alexandri bellica instrumenta personabant. Hectores, Achilles, Hercules ante illum audiebantur; Alexandro tamen imperante, omnes hostes obmutuerunt. Situit terra in conspectu eius. Etenim, ut (ibid.) ait sacer Textus: Constituit praecia nulla, et obmutuit omnium munitiones, et interfecit regiones: quod perinde fuit, ac si diceret, ut Glossa ibi adnotavit, cruenta bella gessit, superavit Darium, dimicavit acriter contra Thracios, et contra Corosmos, et eos, qui habitabant ad radices montis Caucasi, superavit et profligavit. Non dissimiliter haec in beatam Virginem convertens, mihi fecisse videtur sanctus Methodius martyr, dum volens Deiparam ad vivum depingere, nubem fulgurantem illum appellavit, sub qua eleganti metaphoram multa latent beatissimae Virginis praeconia, a me nunc decantanda.

Et quidem in primis sicut sonus fulminis longe lateque diffunditur, ita nullus est depergens adeo orbis angulus, ubi heroicae beatae Virginis facta non personent, iuxta eius vati-

cinium (Luc. 1): Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Antequam sacra haec nubes fulguraret, antequam Christum peperisset, aliae insignes foeminae personabant, quarum praeclara virtus omnes in admirationem rapiebat: invicta castitas Lucretiae audiebatur, Semiramidis avorsitas, Amazonarum bellica fortitudo, Sibyllarum sapientia undique diffundebatur; postquam tamen Mariana nubes Christum fulmen coeleste in orbem emisit, siluit terra in conspectu eius, omnia illarum foeminarum heroicae facinora conticuerunt: quia in comparatione virtutum beatae Virginis doctes illae ethicarum mulierum, vicia merito censi debent. Unde d. Hieronymus commendat, non ethicois, sed sanctissimis veteris testamenti foeminis, subiunxit: *Taceo de Anna, et Helisabeth, et ceteris mulieribus, quarum, velut siderum igniculus clarum Mariae lumen abscondit.* Quid plura? B. Virgine fulgurante, ac coeleste filii sui fulmen in orbem immittebat, famosum Delphici Apollinis oraculum continuo obmutuit, non secus ac apparente aurora solis nuncia, nocturnae aves conticescunt. Hoc autem Delphici Apollinis silentium Iuvenalis cecinit (Satyra 6):

Cessant oraena Delphis: abscondit se sonus
Sed siluit, postquam reges timuerunt, et
Et superi ei metuere loqui.

Strabo etiam (lib. 9) idipsum confirmans dicit: *Hodie profecto summa in mendacitate est Delphicum oraculum.* Huius autem silentii causam ipse daemone in Apolline divinitus compulsus, reddidit Augusto Apollinis studiosissimo, sequo a Christo adhuc infante in tartara exactum plane confessus est; quemadmodum docent Svidas (in Augu.), Cedreus (in comp. hist.), et Nicephorus (lib. hist. cap. 17), cuius verbis rem gestam narrabo: *Caesar*, inquit, *Augustus prorectoris iam aetate ad oraculum Puthii Apollinis venit, et sacrificio omnium maximo, quod Hecontibus dicitur, daemone oblato, quaesivit, quisnam post eum Romanum administraturus esset Imperium: at cum nullum ei daretur responsum, alterum quoque adiecti sacrificium, denouque rogavit, quid ita oraculum pluribus verbis uti solitum, nunc tandem obmutuisset; tum illud, parva interposita mora, ad hunc modum respondit:*

Me pner Hebraeus divos Deus ipse gubernans
Cedere sede iabet, tristemente redire sub arcum.
Aris ergo delinere tacitus abscedit nostris.

Verum, non solum cum beata Virgo instar nubis fulgurabat, sed prius etiam, cum iam tempus approximabat, ut fulmen suum mitteret in terram, Delphica oracula silens affirmat Cicero (lib. 2. de div.), qui quadraginta propemodum annis ante conceptionem Christi in utero virginis vixit, eiusque rei causam, quam nonnulli afferrebat, merito irridet his verbis: *Cur isto modo iam oracula Delphis non eduntur, non modo nostra aetate, sed iam diu, ita ut nihil possit esse contemptus, hoc loco cum argueretur, evanuisse aiunt vetustate, cum loci eius, unde anhelitus ille fieret, quo Puthia men-*

te incitata oracula cederet, de vino aut salsa mento putes loqui, quae evanescent vetustate; haec ille.

Deinde sicut fulmen omnia ea, quae sibi resistunt, confringit, conterit, dissipat, et in favillas saepe convertit; ita B. Virgo instar nubis ex se Christum, vel fulmen contra diabolum mittens, caput eius contrivit: impium Nestorum, matrem Dei esse abnegantem, a verbibus praecepit linguam eius dilacerari, et corrodere, ut tradit Nicephorus (lib. 14. histor. c. 36). Celebris fuit apud antiquos, et magni habitus Cleopatra, eo quod non contenta obtinuisse regna Syriae, et Arabiae, tentavit Romam debellare, ut Romanorum Regina fieret, ut Propertius cecinit (lib. 3), licet subobscuris verborum involueris:

Ausa Iovi nostro laetram apponere Auubim.

Quod perinde est, ac si diceret: eo audacia eius pervenit, ut stemmata Romanorum prosterneret, et loco illorum sua substituere tentaret. Vel aliter, tantae audaciae fuit, ut in templum Romanorum, ubi Iupiter adorabatur, illo contrito ferocem canem, cui cultum illa deferebat, immittere satageret; at potentia, et plusquam virilis B. Mariae fortitudo longe commendabilior est, cum non solum tentarit, sed reipsa obtinuerit, rabidum diaboli canem a templo Ecclesiae exterminare, et loco illius mansuetum Dei Agnum, Deum verum, et hominem Christum Iesum colendum, honorandum nobis proponere, etc.

Ad haec, illa est fulminis notissima proprietates, cuius meminit Plinius (lib. 1. cap. 35), ut omnem materiam sibi resistentem penitus absumat, cedentem vero illi indumentum reliquat: unde experientia compertum est, ut ibidem ait Plinius *Fulmen pecuniam, et ferrum ensis confringere, et in cinerem convertere, morsupio, et vagina illaesis manentibus.* Ad eundem modum beatissima Virgo, filii sui ingenium imitans, superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, etc.

Quid plura? Berchorius (lib. 6. Reduc. mor. cap. 27) ait, quod fulmen percussus animalia venenosum, venenum admittit ab eis, et continuo vermescere facit, cum aliquo venenosum animalium, cum interit, vermes non gignat; non secus Deipara Virgo, cum videt fanulatu eius addictos in via retrocedere, divinam legem transgredientes, temporalis tribulationis fulmine exferens, peccati venenum in eis absumit, et illos vermescere facit, hoc est, ad agnitionem sui trahit, ut cognoscat, se vermes tandem convertendos; sic enim mortis timore conterriti, a vitis se abstinent. Unde (2. Mac. 9) dicitur: *Coepit ad agnitionem sui venire, divina admonitus plaga; plaga autem fuit vermium, ut sacer Textus ait: Ita ut de corpore impii vermes scaturirent; tunc quidem ad se reversus, in illa prorupit verba: Iustum est subditum esse Deo, et mortalem non paria Deo sentire.* Et licet divino illo lumine illustratus non resipuerit, sed obstatat adhuc interit, hoc tamen non fuit ex defectu agnitionis: in hanc enim vermium plagam iam illum

CARTHAGENA de B. M. V.—Vol. III.

induxerat, sed ex inveterata, et radicata malitia sua, etc.

Ad extremum Pierius Valerianus (lib. 43) refert, Aegyptios ad clementiam, et beneficentiam exprimentam, solitos fuisse, fulmen in mollis thoro iacens depingere; etenim cum fulminantem Iovem existarent, qui in deinquentes, ut quidam poetarum dixit:

Fulmineo saepe sine igne tonat;

quando iram eius, vel mitigatam, vel a vindicta quiescentem, et quasi dormientem volebant; fulmen in mollibus pulvinis substrato thoro pingebant: nam certe qui in lecto cubant, vel mollitudine resoluti, vel certe quietis, aut somni gratia se recumbere testantur. Itaque fulmen in lecto collocatum, vim illum coelestem, ac divinam ad exterrandos, et castigandos homines placatam, et quiescentem, vel certe quasi dormientem innuit: non dissimiliter Christus Dominus in molli thoro virginis uteri recubans, praeclearum mihi symbolum videtur divinae iracundiae, per beatam Virginem placatae, ac reconciliationis, et pacis inter Deum et homines per intercessionem eius iulatae. Ad quod respiciens d. Ioannes Damascenus (orat. 1. de nativ.) eleganter dixit: *Quia universa terra in foedissimum sese provolverat libidinem, ac Domini populus a Domino Deo suo aberraverat, factusque fuerat populus Domini, non populus ipsius, et qui misericordiam consecutus, non misericordiam consecutus, et qui dilectus, non dilectus; ob eam causam nunc beata Virgo praecaricationis aduersaria patitur, ac Deo desponditur, Deique misericordiam parit, atque populus Dei efficitur, qui prius populus non erat, et qui prius misericordiam minime consecutus fuerat, misericordiam nanciscitur; et qui prius non dilectus erat diligitur; hactenus divus Ioannes Damascenus.*

Ad eandem etiam Dei reconciliationem cum hominibus per beatae Virginis intercessionem respiciens sanctus Bernardinus Senensis (tom. 3): *Ipsa est arcus foederis sempiterni, ut non interficiatur omnis caro, quia illum genuit, qui fecit utraque unum; faciens pacem, ut reconciliet ambos.* Quibus sane videtur mihi allusisse ad coelestem arcum, qui praeterquam quod chorda, et sagittis caret ad feriendum, symbolum pacis, et confederationis semper fuit: unde (Genes. 9) Dominus dixit: *Arum meum ponam in nubibus, et erit signum foederis inter me, et non erunt ultra aquae diluuii super terram ad delendam omnem carnem.* Unde sicut ibidem Dominus dixit: *Videbo arcum meum in nubibus, et recordabor foederis sempiterni;* ita intuens Deus coelestem hunc arcum Deiparae Virginis, memore pacti cum beata Virgine initii, quoscuque in se aversos, sibi placere et reconciliare, misericorditer susceperunt; neminem, quantumcumque peccatorum respuit, qui tanta matris patrocinio invocat; qui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XIII.

In eadem verba: Beatus venter, qui te portavit, *Virginis Deiparae venter nido comparatur, quem alcedines, seu, ut alii volunt, halcyones aves fabricant.*

Salomonis celebris est illa sententia (*Prov. 7.*), quam filio b. Virginis apte convenire arbitror: *Sicut avis transiit de nido suo, sic vir qui dereliquit locum suum.* Etenim sicut illa mutatio nidi nociva est volneri, ita cum Filius Dei de nido patris sinus descendit ad nidum materni uteri, tot ac tam importuna incommoda suscepit, ut infer angustias etiam virginis thalami illa experiri inciperet, ut non obscure indicant verba illa Ambrosiani Cantici: *Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterum.* Certe nisi illis angustias, qui vir erat, et usu rationis praeditus, premeretur, non erat cur exhorresceret immaculatum b. Virginis uterum. Ut autem fabricam Mariani huius nidi, quem sibi Dominus ad habitandum per integros novem menses construxit, alius repelamus, placet in memoria revocare, quae de avibus alcedinibus tam sancti Patres, quam naturales historiographi commemorant. In primis Alciatus (*embl. 178*) tradit, halcyonem nidum suum extruere ex spicis, et teneris intertextis palmitibus vitis:

Grandibus ex spicis tenues texere corollas
Quas circum altero palmitis vitis eat.

Mirabile certe est, quod cum reliquae volucres ex ramis, paleis et foliis suos aedificant nidos, aleyon tamen ex spicis illum construat. Illud sane inter pleraque alia Virginis encomia non ultimum locum lenet, quod cum primordia nidorum reliquorum hominum sint humilia, immo et turpia, utpote peccati originalis luto deturpata, Marianus tamen nidus, quem Dominus sibi fabricavit, a principio fecundissimis meritorum spicis exornari coepit. Etenim, ut noster s. Bernardinus Senensis docet, qui postquam dixerat: b. Virgo, etiam dum erat in utero matris, habuit usum liberi arbitrii; postea subdit, anima sua libere, ac merito actu, tunc tendebat in Deum. Reliquis omnibus accidit, quod agris, quibus uno tempore semina arantur, et alio illi fructus reddunt. At in beatissima Virgine simul atque Deus in instanti suae conceptionis, divinae gratiae, et reliquarum virtutum semina in ea fecit, continuo illa meritorum copiosissimas spicas, tanquam fructus protulit. Cuius rei figura mihi praecessisse videtur in Esther, de qua (*Esther 2*) dicitur: *Placuit ei, nimirum Assuero, et invenit gratiam in conspectu illius, et praecipit eunucho, ut acceleraret mundum muliebrem, et traderet ei partes suas, et septem puellas speciosissimas de domo regis, et tam ipsam, quam pedisequas eius ornaret, atque excoletet: ita Deus Virgini, quam in futuram ma-*

trēm elegerat, mundum, seu ornatum muliebrem acceleravit, in ipsa conceptione conferens ei divinae gratiae ornatum, et septem speciosissimas pedisequas, id est, virtutes septem: tres theologicas, et quatuor morales, quibus libere posset uti. Ad idem etiam fuit illud (*Proverb. 9*): *Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem:* hoc est Christus Dominus, Sapientia Patris aedificavit sibi domum septem virtutibus, seu septem donis Spiritus sancti suffaltam. Quod autem ait, aedificasse illam sibi, idem est, ac si dixisset, in proprium usum, et in propriam utilitatem illam extruxisse, instar avis nidificantis. Observavi, quod inter praecelara nulla, quibus b. Virginem exornat sanctus Iacobus apostolus in sua Liturgia, quam Proculus mirifice celebrat, et sexta Synodus generalis libenter acceptat, ut refert Ferreolus de Maria; illam compellit paradisi spirituales: qua etiam appellatione postea usi sunt s. Ephrem (*orat. 2. de Deip.*), d. Joannes Damascenus (*orat. 2. de dorm. b. Virg.*), d. Ambrosius (*in Psal. 1.*), d. Bonaventura (*in spec. Virg. cap. 3.*), nec nou et Rupertus (*lib. 4. in Cant.*). Omissis tamen multis, quae ille de paradiso terrestri b. Virgini accommodat, et fusc prosequitur: quomodo nimirum Virgo sit novus paradisi, non terrestris, sed coelestis, a Deo plantatus, et quomodo in ea formaverit hominem, cum in ea Verbum caro factum est, et in cucularum germina ipsarum, et omnium exemplaria virtutum, et ipsam etiam Christum germinavit, qui est lignum vitae: quomodo item ex ea fluvius egressus est, cum Iesus ex ea nascent, et ex thalamo eius foras, instar fluvii laetificantis Civitatem Dei prodians, divisus est in quatuor Evangelia: his inquam, et aliis similibus omissis, illud solum observo, ut ad praesens argumentum spectat, inter paradisi, et reliquos hortos, hoc interesse manifestum discrimen, quod nullus unquam hortus hominum industria constitus, a principio suae conditionis fructifer fuit; paradisi autem voluptatis, quem Deus condidit, ab initio ferax fuit, dulcissimos fructus proferens: hoc idem discrimen inter reliquos sanctos, et b. Virginem reperio, quod illi ab initio suae conceptionis non fuerunt fructiferi, imo infocundi, et steriles, non aliud, quam peccati originalis sentes et tribulos germinantes; at beatissima Virgo ab instanti suae conceptionis, qua paradisi erit secundo Adamo destinata, semper fructifer fuit, dulcissimos reddens suo Conditori meritorum fructus, ut proinde merito dicamus, Christum Dominum, instar avis halcyonis ex spicis, quae fructum copiam symbolice praefert, nidum suum extruxisse.

Quod autem Alciatus praecitato loco ait, hanc avem nidum suum aedificare non ex spicis minimis, sed magnis, grandibus ex spicis, ad magnitudinem meritorum b. Virginis refert. Ut enim, cum Dominus elegit Saulem in regem, sacer textus ait (*1. Reg. 9*): *Ab humero, et sursum eminebat super omnem populum;* elegerat quidem illum in caput totius populi, et sic loto capite volebat, ut reliquos excederet, et superemineret: ita cum Deus ele-

sisset beatam Virginem, in reginam non solum hominum, sed et angelorum, imo, et in matrem suam; consequens erat, debere magnitudine meritorum omnes longe transcendere. Atque hinc est, ut sacra eloquia (*Cant. 7*) dum singula b. Virginis membra in Sunamite adumbrata describunt, ea assimilat rebus quibusdam sua magnitudine incomparabiliter excedentibus humani corporis mensuram, et membrorum eius compagine: *Collum, inquit (Cant. 7), tuum sicut turris eburnea; oculi tui, sicut piscinae in Hesebon; nasus tuus, sicut turris Libani; caput tuum, ut Carmelus; statura tua assimilata est palmae, quam constat inter arbores maxime proceram esse.* Consulo Spiritus sanctus exiguas has partes virginei corporis cum rebus magnitudine molis praestantibus componit, ut merita b. Virginis, et praecelras eius dotes magnitudine virtutis reliquis omnibus praestare demonstrat. Unde qua proportione mons Carmelus, cui Marianum caput comparat, cuiuslibet hominis, imo et innumeralium capita magnitudine excedit; ita Deipara meritorum excellentia reliquos omnes sanctos similit proportionem superat. Unde d. Bonaventura (*in spec. Virg. cap. 2*) postquam dixerat, Deum praeparasse Mariae magnam gloriam in coelo, subdit: *Ut sicut fuit grandis in merito, ita etiam grandis esset in premio.* Quare ipsa est thronus ille grandis, de quo dicitur: *Fecit rex Salomon thronum de ebore grandem: thronus veri Salomonis est Maria, grandis omnino in gratia, et in gloria; sed quomodo non grandis, cum grandibus ex spicis divinus Aleyon Christus Dominus Mariam, tanquam proprium nidum sibi aedificaverit?*

Porro, nec silentio praetereunda puto praecelara illa Alciati verba:

Tenues texere corollas:

quibus significat, hanc avem nidum suum extruere ex intertextis spicis cum teneris vitis palmitibus in modum coronae. Unde modus aedificandi eius est, ut ex illa duplici materia primam coronam conficiat, et super illam aliam apponat, et sic coronas coronis adiungens, lotum fabricat nidum. In eo autem valde excedit beata Virgo omnium sanctorum coetum, quod illi non erant in continuo motu merendi, nec semper meritorum coronas sibi fabricabant; b. autem Virgo, nec per momentum ab amore dilecti sui cessabat, sed magis, ac magis in divina dilectione continuo flagrabat, ut expresse docuit s. Bernardinus Senensis (*tom. 2. serm. 51. art. c. 3. 2.*) dum dicit: *Mens beatae Virginis in ardore dilectionis continuo tenebatur, ac si diceret: licet reliqui omnes amores interruptionem patientur; actualis tamen amor beatae Virginis semper fuit continuus, et nunquam interruptus.* Quod verum adeo putat, ut etiam dum corpus dormiret, pariter animus eius evigilasse, nec ab amore per momentum desiluisse existimari, iuxta illud (*Cantic. 5*): *Ego dormio, et cor meum vigilat.* Hoc sane modo coelestis Aleyon nidum suum fabricabat, merita meritis, et coronas coronis continuo adiungendo: quod non

obsistere mihi significasse videtur Sponsus, cum dixit ei (*Cant. 4*): *Emissiones tuae, paradisi malorum puniceorum cum pomorum fructibus.* Certe cum plures arborum fructus suaviores multo malis punicis agnoscamus, carere non potest mysterio, quod Sponsus comparaverit sponsae opera malis punicis: *Emissiones tuae, sicut paradisi malorum puniceorum.* Arbitror, consulo id fecisse ad significandum, illud interesse inter beatam Virginem, et reliquos sanctos, quod inter mala punica, et reliquos fructus: quod sicut illa ab initio suae generationis corona exornatur, et quamdiu in arbore consistunt, tamdiu corona eorum augetur, usque ad debitum ei augmentum, alii vero fructus coronis caret; ita omnia, et singula beatissimae Virginis gesta, quia charitate semper erant informata, quae corona est omnium virtutum, quod opera faciebat, tot coronas acquirerebat: aliorum vero sanctorum opera non semper erant meritoria, immo quandoque demeritoria, quia venialiter peccamina. His adiungo, inaccessibilem adeo fuisse beatam Virginem Deiparam in acquirendis coronis per actus charitatis, ut sanctus Antoninus ex Alberto Magno, consulo probet, charitatem beatae Virginis inaccessibilem magis fuisse, quam ipsorum seraphinorum fuerit charitas: verba eius sunt haec: *Inaccessibilium habuit beata Maria super seraphim, quod sic probat Albertus: Magis inaccessibile est, quod non cessat, nec potest modo cessare, nec unquam potuit cessare, quum quod non cessat, nec potest cessare, sed tamen potuit aliquando cessare: sed charitas seraphim, etsi non potest modo, potuit tamen aliquando cessare, scilicet in prima eorum conditione, quod per exemplum luciferi, qui secundum beatum Gregorium supremus fuit de ordine seraphim, qui tamen a charitate sibi collata, excidit de coelo; sed charitas beatae Mariae nunquam potuit cessare, quod ostenditur per hoc, quia charitas non potest cessare, nisi per mortale peccatum: sed b. Virgo nunquam potuit peccare mortaliter, quia in utero sanctificata, antequam posset peccare, per ipsam sanctificationem ita fuit confirmata in gratia, et charitate, quod post ea peccare non potuit etiam venialiter; unde nec amittere charitatem, quod tamen posuerunt seraphim agere, et de facto utique amiserunt, scilicet lucifer cum suis; ergo b. Maria in hoc omnes excedit.*

Hinc fit, quod cum ex variis coronis nidus halcyonis conspiciat, figura eius sit rotunda, ad quod respiciens Helianus (*de historia animal. libr. 1. cap. 37*) dicit: *Leviter in figuram rotundam subiect.* Certe figura rotunda, eo quod nunquam clausa sit, virginalem clausuram beatae Mariae refert, et symbolum etiam munditiae apud veteres semper existit, teste Virgilio in epigrammate de viro bono: cuius ratio est, in qua figura circularis angulis caret, in quibus sordes facile dellescere solent. Illud etiam circuli proprium nemo ignorat, si perfectionem sphaeram habet, quo incipit, desinet, seu finit; in quo magnum illud discrimen mihi deligitur inter beatam Virginem, et reliquos homines mortales, etiam insigni sanctitate conspicuos,

quod in illis non est idem principium, et finis, quia non incipiunt in eo, in quo desinant, in gratiam enim desinant; incipiunt tamen in peccato. iuxta illud Davidis (Psalm. 50): *In peccatis concepit me mater mea; at b. Virgo, nidus rotundus, et circularis, instar Halcyonis, coepit in gratia concepta, et finivit in gratia mortua, quae duae gratiae factae sunt una infensior, ut proprie idem punctus huius mystici circuli sit principium, et finis eius. Atque haec eandem b. Virginis excellentiam confirmat, quod idem Helian. (praecit. loc.) dixit de eodem halcyonis nido: Neque per ipsum nidi os quidquam ex mari influere potest, illud enim speciale habet nidus huius avis, quod inter medius aquarum gurgites, neque unica salis maris gutta in eum subintrat. Etenim cum Deus nidum matris suae fabricasset, non inter angelos, quia, ut Apostolus (Hebr. 2) dixit: Nuscum angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit; necesse erat, nidum hunc inter amaras huius saeculi fluentes aquas fabricaret; eo tamen divino artificio, instar halcyonis, illum condidit, ut neque peccati originalis amaritudo, imo nec unica etiam levissimi peccati venialis gutta in eum aditum haberet. Contigit sane illi, quod Christus Dominus dixit (Lucas 6): Inundatione facta, illius est flumen domui illi, et non potuit eam movere: etenim, cum peccati originalis universalis inundatio in omnes Iudeos domum irrueret, ita tamen divinus Halcyon domum suam praemunivit, ut illidens in eam inundans flumen peccati originalis, nullum ei nocumentum inferre poterit: illius est flumen domui illi, et non potuit eam movere.*

Ad haec idem Helianus praecallegato loco de nido halcyonis duo praeclara dicit, quae in beatam Virginem mirifice conveniunt. Os, inquit, nidi non plane conspicuum, et in ascensum solum illum suscipere potest. Certe, quomodo Verbum aditum sibi fecerit in viscera b. Virginis, et ibi carnem assumpsit, non solum humanae menti non est perspicuum, sed et angelico intellectui obscurum: adeo ut daemon, quantumcumque perspicacissimi ingenii, frequenter vacillaret, an sub humana Christi carne divinitas latitaret. Unde non ausus est illi dicere nisi dubitans, et sub conditione (Matth. 4): *Si Filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant*: quod autem nidus halcyonis solum illum suscipere posset, quis non videat, id multo ante vaticinium Ezechielis praenunciasset, cum dixit (e. 44): *Porta haec clausa erit, et non aperietur, et vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam*: nam per hanc portam clausam d. Ambrosius, et divus Hieronymus, et alii Patres intergerimam Virginem intelligunt, a qua Christus Dominus conceptus, et natus virginalem matris clausuram non violavit, sed potius magis stabilivit: ad quod alludere mihi videtur verba Davidis (Psalm. 47): *Quoniam confortavit seras portarum tuarum*. Alii quidem, cum nascuntur, seras confringunt materni claustrum; Christus autem non sic, sed potius confortavit. Unde eleganter d. Fulgentius (serm. de laud. b. Mar.) ad id respiciens di-

xil: *Jesus post transitum suum illaenam fecit Virginem permanere: qui enim disrupta corporum membra in altis poterat integrare tangendo, quanto magis in sua matre, quod invenit integrum, potuit non violare nascendo? Crevit enim eius partu integritas potius, quam decrevit, et virginitas ampliatu est potius, quam fugata. Ecce divus Fulgentius ait, quod David, Christum confortasse potius, quam aperuisse seras materni uteri.*

Addit deinde idem Helianus nidum halcyonis tanta fortitudine praeditum esse, ut neque ferro possit quispiam illum demoliri, ut nec ferro, inquit, discindatur. Verba haec a me extorqueant, ut de invincibili b. Mariae fortitudine ad resistendum daemone, et illum expugnandum nonnihil disseram. Suppono ad id, Christum Dominum per corpus suum, tanquam per arma, caput antiqui serpentis contrivisse, ut his verbis edixit s. Leo (serm. 1. de nativitate): *Omnipotens Dominus cum saevissimo hoste, non in sua maiestate, sed in nostra cogreditur humilitate, obiciens ei eandem formam, eandemque naturam mortalitatis nostrae participem, sed peccati totius expertem, ut inventor mortis diabolus, per ipsam, qua cicerat, vinceretur*; haec d. Leo: quibus consonant illa divi Augustini (serm. 176. de temp.) in hunc modum loquentis: *Si nihil de nostro suscepti, nihil nobis praestitit: proinde charissimi, si non in nostra carne de diabolo triumphavit, se exercuit, non nos iuvit: si non in nostro corpore resurrexit, conditioni nostrae resurgendo nihil contulit; si non in nostra carne peregit medicinam, solum ergo, homine nascendo, elegit iniuriam: de nostro est, quod apprehendit, de suo est, quod donavit: meum testor esse, quod cecidit, ut meum sit quod resurrexit; meum est, quod iacuit intra tumulum, ut meum sit, quod ascendit in caelum*; haec ille. Cum ergo b. Virgo ex purissimis suis sanguinibus Verbum divinum carne induerit, manifestum est, eidem arma, quibus daemone devicit, suppeditasse: haec enim ratione comparatur a Sponso (Cant. 4) turri David, quae aedificata est cum propugnaculis, de qua ait: *Mille clipeis pendet ex ea, omnis armatura fortium*. In hac ergo turri, armis onusta, Dei Filii armavit se ad fortem armatum daemone, ut ipse loquitur, expugnandum: quod praevadens regius Vates, dixit (Psalm. 92): *Indutus est Dominus fortitudine, et praecinxit se virtute*: quod perinde fuit, ac si diceret: induit se Dominus humanitate decora, et speciosa, ac simul fortissima, qua ad hostes delibandos se munivit.

Quare, sicut qui arma porrigit ad necem alteri inferendam, necis participes dicitur; ita beata Virgo, quia Christo arma suppeditavit ad caput daemone conterendum, merito huius victoriae participes censi debet: sic et contra mortis humani generis participes censetur Eva, eo quod pomum Adamo porrexerit, quo ille vesens totum humanum genus interemit. Placet hoc ipsum ex his, quae narrat Plinius (lib. 7. cap. 2) obiter illustrare. Meminit ille Marsorum, qui erant quidam gentium populi descendentes a Marso filio illius Circis, regis Sarmatarum uxoris, sororisque Aetiae Colcho-

rum regis, quem divus Augustinus, magnum famosissimum vocat, quod eius incantationes famosissimae sint apud Homerum, Virgilium, Theocritum, et alios poetas. Haec filium suum Marsum ita suae incantationis, et uctionis viribus munivit, ut nullatenus contra eum posset vel aspidem ipsae praevaleo, omniumque serpentum venenum enervabat. Quamvis autem Circis uctiones, et incantationes, ut ait divus Augustinus (lib. 11. sup. Gen. ad liter. cap. 28) non laudamus, ex illis tamen similitudinem trahimus, sicut Christus ex iniquo Iudice similitudinem construxit (Lucas cap. 18), ut loco nuper citato idem s. Doctor seite adnotavit. Si igitur Christus Dominus non Circis incantatrix, sed Virginis sanctissimae filius, in eius visceribus genitus, et inde arma capessens, ita uctione Spiritus sancti fuit munitus, ut libere posset cum antiquo serpente congressi, a quo nullatenus posset laedi, sed ad alios laedendos inermis, et impotens maneret.

Non est opus habemus his profanis monumentis, cum praeclaro exemplo Iacob patriarchae id in laudem beatae Virginis confirmare liceat. Ille (Genesis cap. 34) loquens cum Ioseph filio suo, de praedio quod habebat in Sichem, id quod filii quamvis ipso inscio fecerant, sibi tribuere non dubitat: *Do, inquit, tibi partem unam extra fratres tuos, quam tui de manu Amorraei in gladio et arcu meo; cum non lamen suo, sed Simeon, et Levi gladio tulisset, ut patet (Genesis. c. 34). Nam et Ulysses, licet quoque nobis ratiocinationis nostrae efficitatem ex profanis auctoribus confirmare, quod Achilli alieno habitu delitescenti, arte sua deprehensio, arma tantum sumere, et ad bellum Troianum proficisci persuaserint, eiusdem egregia apud Troiam facinora, et ipsam Hectoris caedem sibi ascribere non veretur; sic enim contra Aiaceum in illo Graeciae ducum consensu, cum Achillis arma sibi deposceret, de Achille loquentem inducit Poeta:*

Inieciq; manum, fortemque ad fortia misi:
Ergo opera illius, mea sunt; ego Telephon hasta
Pugnanti domum; victum, orantemque reieci.
Quod Thebae ceciderit meum est, an me credite
Lesbon;
Me Theodon, Chrysenque, et Cilan Apollinis
Urbes.
Et Scyron episse; mea conussa potate
Prociuisse solo Lynesia moenia dextra.
Utque alios taceam, quis saevum perdere posset
Hectora? nempe dedi, per me iacet inclytus Hector.

Si ergo Ulysses, quod solum Achillem conciliatus fuisset, ut arma capesseret, et ad bellum Troianum se accingeret, eius praeclara facinora, ac hostium victorias sibi tribundas putat, quanto magis Deiparae Virgini victoria de satana a Christo reportata tribuenda erit, quae non solum consilio, sed et ipsius etiam operum Christum nobis genuit, cuique carnem tribuendo arma ad daemone caput conterendum subministravit? Tanta igitur b. Virginis fortitudo esse perhibetur, ut non solum a daemone calcaneo eius illi frequenter insidiantes laedi ultra ratione non poterit, sed et illum fortem

adeo, ut Iob dicat: *Non est fortitudo in terra, quae comparetur ei, gloriose devicerit, et caput contriverit, iuxta antiquum Dei vaticinium: Ipsa conteret caput tuum*. Ecce quanta fortitudine praeditus sit nidus coelestis halcyonis: de quo melius sane quam de illo dici potest: nec ferro scindetur.

Ad extremum illud in ore omnium versatur, quod s. Basilii (in exam. homil. 8), et s. Ambrosii etiam (in exam.) de halcyone dicunt, nimirum tempore partus mare aliquoquin variis tempestatibus agitari solitum, singulari tranquillitate fruatur, quae cum per 14. dies duret naturae dies illos tranquillos, dies halcyones appellare solent: verba d. Ambrosii omnia minutim describentis digna censui, quae hoc loco inserantur: *Halcyon est avis maritima, quae in littoribus foetus suos edere solet, ita ut in arenis ova deponat medio fere hyemis: nam id temporis foventis habet deputatum partibus, quando maxime insurgit mare, littoribusque vehementer fluctus illiditur, quo magis repentinae placiditatis solemnitate acis huius elucet gratia: nam, quum undosum fuerit mare, positus ovis, subito mutescit, et omnes cadunt ventorum procellae, flatusque aurarum quiescunt, ac placidum ventus stat mare, donec ova foet halcyon suae septem dies foetus sunt, quibus decursis, educit pullos, illico omnes septem adiungit dies, quibus nutrit partus suos, donec incipiant adolescere: tantum autem beneficium avicula haec dicitur sibi datum habere, ut suis quatuordecim dies nautica praesumptae serenitatis observet, quos et halcyonidas vocant, quibus nullus motus procellosae tempestatis horrescant. Atque hinc poetae ansam fabulandi arripuerant, Alcyonem filiam Aeoli fuisse, qui in gratiam filiae, dum illa in littore ova parit, et foetus educat, ventos inclusos servat.*

Sed omisso hoc fabuloso commentu, certe, quemadmodum, matre halcyone pariente, turbulentum mare quiescit, et furens eius fluctus mansuescunt, ut eo tempore non tam mare aqueum, quam lacteum dixeris: ita tempore virginis partus, quando coelestis Halcyon Christus Dominus ex matris visceribus per nativitatem prodiiit, summa pax in mundo vigere coepit, ut angelorum vox attestata est (Luc. 2): *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis*. Sane cum gentiles honorem, et gloriam Deo debitam ad idola translulissent, Psalmographo dicente (Psalm. 115): *Mulaverunt gloriam suam in similitudinem vituli condentis foenum, debitus honor, et gloria Deo deesse videbatur, terrae vero deerat pax cum Deo; Christus autem ex Maria natus reddidit gloriam Deo, et pacem hominibus: pacem, inquam, non solum temporalem, sed et spiritalem: etenim, quod ad illam attinet, apud historicos memorat quaedam prodium reperimus, postremis illis temporibus Romanam Urbem, ipsumque imperium misero in stata fuisse propter immanem bellum inter Italiam Caesarem, et Pompeium. Unde iustissima Scipionis Nascae querela illa est, quae felicitas in hac urbe nostra esse potest stantibus moenibus, ruentibus moribus? Facta erat Roma, velut nova Babylon, patens ad emam improbitatem, et om-*

nes omnium gentium errores recipiebat; at placuit Deo tandem hanc nubem malorum gratiae suae solae repellere: occisus Pompeius, qui prius quingentarum navium classi praefuerat, qui per triumphum duxerat, qui in aerarium plura centena talentorum millia intulerat: erat et eodem die iudicio interfectus Iulius primus Caesar, qui fastuosos Senatus Romani Imperium contempserat, et Pompeio debellato scripserat: Veni, vidi, vici. Itaque post tot incommoda, tantisque ruinas hoc beneficium Augusto Caesaris reservatum est, ut pacem rebus omnibus compositis restitueret, Templum Iani clauderet in signum solidae pacis, et pene universi orbis Monarcha feret: atque illo imperante, Christus nasceretur, qui pacem illam stabiliret. Unde quemadmodum, aquila demittente, reliquae aves quiescunt, alisque devotissime, ita advento coelesti illa aquila. Redemptore nostro, omnes terrae principes quiescerunt, et uniusquisque, ut olim aetate Salomonis, pacifice sub sua fien vivebat, ut ad litteram impleverit illud (Isa. 2) dicentis: Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercerebuntur ultra ad praelium. Hoc genus pacis tanti habebatur apud antiquos, ut ad significandam illam deingerent virginem quandam, manu cornucopiae tenentem: in cornucopia vero antiqui omnem abundantiam significabant. Hinc etiam Iulius Caesar in moneta Imperii sui caduceum cum cornucopiae insculpi fecit: per caduceum olim pacem, et concordantiam significabant veteres, et per cornucopiae, ut diximus, rerum abundantiam; et eadem ratione Vespasianus imperator in moneta sui temporis signari voluit duas manus inter se unitas, et cohaerentes, a quibus manipulus spicarum procedebat: per manus coniunctas concordiam, per manipulum abundantiam significare volens.

Denique sicut discordia, et bellum omnium malorum origo sunt, scilicet bonorum direptionis, et patriae amissionis, et captivitalis, et mortis: sic e converso pax origo est, et aggregatio omnium bonorum. Non lamem coelestis Halcyon tranquillitatem et pacem temporalem, sed praecipue spirituales induxit in terram, ut ipse per Aggaeum prophetam praedixerat: *Implebo domum istam gloria, et in loco isto dabo pacem*: erat enim tunc templum aeternae pacis, hoc est, coelestis paradisi, clausus, et ab eius ingressu exclusum genus humanum, quod praefiguraverat Dominus, quando eiecto Adamo, et Eva e paradiso terrestri collocavit cherubin, et gladium versatilem ad custodiendam viam ligni vitae; adventante autem Christo Domino, facta est tranquillitas, et pax inter Deum, et hominem, et fores coelestis paradisi iam patent, Apostolo dicente (ad Rom. 5): *Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo: et (ad Ephes. 2): Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.*

Est etiam et alia pax, cuius haec pax cum Deo origo esse perhibetur, nimirum, cum sibi ipsi homo pacatus est, qui a seipso antea acerrime dissidabat, dum aliud spiritus, aliud caro flagitabat, iuxta illud d. Pauli (Galat. 5): *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus*

adversus carnem. Haec etiam pax, nascente hoc divino halcylene, nobis donata est, ut his verbis adnotavit d. Hieronymus (in cap. 2. Isaiae): *nam exponens locum illum: Confolant gladios in vomeres, et lanceas suas in falcas, ait: Hoc quidem spiritualiter intelligi potest, quando omnis duritia cordis nostri Christi vomere frangitur, et eradicantur spinae vitiorum, ut semen sermonis Dei crescat in fruges, et postea labores manuum nostrarum manducemus. Et divus Ioan. Chrysostomus: *Quantum, inquit, abundantiam pacis nunc videmus, ut caro quae concupiscit adversus spiritum, subiugetur, et subiugati sint affectus carnales spiritui, sit abundantis pacis, donec tollatur luna, id est, finiatur omnis Ecclesiae praedicatio: Ecclesia enim luna dicitur, quae crescit in sanctis, decrescit in peccatoribus: quibus persimilia sunt praecleara illa verba divi Augustini (lib. 1. de serm. Dom. in monte), qui exponens locum illum: *Beati pacifici, inquit: Pacifici in seipsis sunt, qui omnes animi motus componunt, et subiectos rationi, et spiritui, carnalesque concupiscentias habentes edomitas, sunt regnum Dei, in quo ita sunt ordinata omnia, ut id, quod est in homine praecipuum, et excellentissimum, hoc imperet, caeteris non reluctans, quae sunt nobis, bestiisque communia, atque idcirco, quod excellit in homine, id est, mens, et ratio, subdatur potiori, Deo scilicet: et haec est pax, quae datur in terra hominibus bonae voluntatis, haec vita consummati, perfectique sapientis; haec d. Augustinus.***

Est tandem et alia pax, quae animorum unionem et concordiam importat, quam Christus Dominus toties inculcavit, et commendavit, ut exinde miram eius utilitatem deprehendere debeamus. Etenim praeterquam quod illo nascente pacem evulgavit, certe pacificos filiorum Dei illustri nomenclatura cohonestavit, dicens (Matth. 5): *Beati pacifici, quantum filii Dei vocabuntur.* Discipulos illa salutatione uti praecipit (Luc. 19): *Pax huic domui.* Rurus ad crucem, quasi in testamento pacem discipulis donavit (Ioan. 14): *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Post resurrectionem, ad discipulos clausis ianuis intrauit, illis verbis eos salutavit (Ioan. 29): *Pax vobis.*

Certe ethnici non a Christo edocti, sed rationis solo lumine illustrati, ita pacis, et concordiae cultores fuerunt, ut merito nos Christiani eorum gesta audientes, reverentia erubescere deberemus. De Leone Bizantino memorat Erasmus, quod Philippo regi cum exercitu Bizantium properant occurreret: *Dic, inquit, Philippe, quae causa te in urbem nostram impulit? quo respondente: Patriae tuae amor: atque, ait ille, non bellico instrumento, sed musico amantibus est opus.* Musonius scilicet est, nullas nuptias sine concordia esse honestas, nullam societatem utilem, quod lepido exemplo idem Sophista Leo demonstravit. Venerat Athenas de pace verba facturus, et tumultuantii populo concordiam suasurus, cum quem esset corpore pusillo, omnibus movit risum: ille occasionem fortuitam in proemium vertens: *Quid, inquit, viri Athenenses, si concipieretis uxorem meam, quae tam pusilla est,*

ut vix ad genua mea pertingat? ad quam vocem maior obortus est risus: tum subiecit Leo: At nos tam pusillo, si quando dissidemus, vix Bizantium capere potest. Illaesum Sophistam memorat Plutarchus, cum Lacedaemonii de moenibus oppido suo circumducentibus consularent, Homerium versum reclasse:

Scutus haesit scuto, galeae galea, atque viro vir,

Et adiecit:

Sic Lacedaemonii stete, et muris cincti sumus.

Hinc Agesilas rex percontanti, cur Spartana civitas muris careret, cives exhibuit armatos, et unanimes.

Africanus Scipio, cum Numantinos saepe virores tandem superasset, rogavit Tyresium principem Collicium, quomodo Numantia haec eversa fuisset, quae prius tot gentium victrix fuerat; cui Tyresius: *Pax et concordia civium eam victoriam; discordia tam praecipue exitum produxit.* Blond. etiam (lib. 2. de Roma inst.) refert, olim fuisse in monte Palatino templum concordiae dicatum, a Tiberio Caesare instructum, et iuxta eundem montem aliud magnificentissimum templum aedificatum a Vespasiano in honorem pacis, quo nullum erat augustius delubrum. Quod si gentiles pacem, velut numen quoddam venerabantur; quanto avocatus est, ut eandem nos fideles summo studio comparare laboremus, qui pacis auctorem Christum habemus; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XIV.

Deipara Virgo utero suo Christum gestans coelo comparatur, quo Deus sanctos beat, in eadem verba: Beatus venter qui te portavit, (Luciae 11).

Primum omnium arbitror fuisse Davidem, qui beatam Virginem coelum appellavit, dum (Psal. 18) dixit: *Tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultavit ut gigas ad currendam viam, a summo coelo egressus eius.* Etenim per coelum hoc loco intellexisse beatam Virginem, illud non obscure indicat, quod, postquam dixisset, Christum Dominum humanae carnis purpurea ornatum, ex virgineo thalamo matris suae, instar sponsi processisse, continuo subiunxit, haec processionem esse egressum a coelo (Ibi. 1) *summo coelo egressus eius.* Quibus verbis etiam insinnavit, Christum Dominum ex matris utero progressum absque ulla prorsus suae virginitalis lactura: nam sicut, cum quispiam exurum, qui in coelo habitant, et coelo descendit, ut in hac militanti Ecclesiae ministerium aliquod exequatur, coeli ianuis clausis, et absque ulla eius divisione ab eo egreditur, ita et Christus a coelo Mariani uteri, clausa manente eius ianua, et absque ulla suae integri-

tatis lactura prodiit. Hoc etiam perillustri coeli cognomine opinior divum Paulum appellasse beatam Virginem (1. Corinth. 15), ubi, postquam dixerat: *Primum hominem de terra terrenum, secundum, subinavit, scilicet Christum, de coelo coelestem ipse autem alibi (ad Gal. 4); appellat illum factum ex muliere: ergo mulier haec, ex qua formatus est secundus homo coelestis, mysticum quoddam est coelum: quamvis alioquin non me lateat in sensu literali, Apostolum appellasse Christum de coelo coelestem ratione Verbi, quod de coelo descendens in utero beatae Virginis, ex purissimo eius sanguine naturam sibi univit humanam.*

Deinde Ecclesia catholica plane in officio natalis Domini b. Virginem coelum compellat, ex quo armatus prodiit Christus Dominus ad debellandas aereas potestates: *Cum quietum silentium teneret omnia, et non in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus Domine de coelo a regalibus sedibus tuis debellatur in medium exterminii terram prostravit.* Accommodate satis Verbum divinum incarnatum sermo vocatur: tum quia sermo apud nos solum dici verbum vocale; sicut autem verbum vocale nihil aliud est, quam verbum aeterni Patris humana carne indutum: tum quia sicut sermo secundum latinorum rigorem importat orationem, quae ex pluribus vocibus coalescit; ita Christus Dominus suppositus est divinum, ex duabus constans naturis: ipse ergo, qui omnipotens sermo Dei est, daemones forti armato custodiende atrium summi, pacis silentio omnia possidente, ac idololatrya universum fere orbem occupante, ex coelo uteri virginis media nocte prodivit ad profligandos hostes, et arma eius diripienda, iuxta illud (Isa. 8): *Antequam sciat puer vocare patrem suum, et matrem, auferet fortitudo Damasci.* Ac tandem Ecclesiae Patres beatam Virginem pleno ore coelum vocitant: ita loquuntur divus Epiphanius (serm. de laud. Deip.), sanctus Athanasius (ser. in descript. sanct. Mar.), s. Ioannes Chrysostomus (ser. de Annunc.), sanctus Methodius (ser. in hypop. Dom.), s. Augustinus (ser. 18. de sanct.), s. Bonaventura (in spec. beat. Virg. cap. 5) ubi ait: *Coelum est Maria, tum quia coelesti puritate, coelesti charitate, coelestibus aliis virtutibus abundavit, tum quia sedes Dei altissima fuit, teste propheta, qui dicit: Dominus in coelo paravit sedem suam: et divus Ioannes Damascenus (ser. sec. de dorm. beat. Virg.) inquit: Virgo immaculata, cum esset animalium coelum, in coelestibus tabernaculis collocatur; ac divus Bernardus (ser. 3. sup. Sale. Reg.): *Per coelum firmamenti dividens aquas ab aquis, quod (Gen. 1) initio creasse scribitur Deus, significatam ostendit his verbis: Est opera manuum eius annuntiat firmamentum. Fiat, inquit, firmamentum, et dividat aquas ab aquis: omnibus firmamenti firmius firmamentum tu Domina, quae cum, quem coeli capere non poterant, coepisti, et concepisti, portasti, et non defecisti, genuisti, aluisti, paravisti, mammisti, et educasti, tu in medio aquarum dividisti aquas ab aquis, affectus videlicet aeternorum ab affectibus temporum**